S. CHRYSOSTOMVS

De SOLIDIS ac VERIS VRBIVM ORNAMENTIS

Sermone XVII ad populum Antiochenum.

Disce, quid sit ciuitatis dignitas, & tunc manifeste scies, quod si habitatores ipsam non prodiderint, auferre poterit alius nemo ciuitatis dignitatem. Non quod Metropolis sit, neque quod habeat ædificiorum magnitudinem, & ornatum, neque quod multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes, neque quod ante alias ciuitates prædicetur: sed INHABITANTIVM VIRTVS & PIETAS, hæc est dignitas, & ornatus, & tutela ciuitatis: ita vt si hoc desit, omnium sit vilissima, licet infinitum ab Imperatore consequatur honorem.

PLAVTINA VIRGO, *Perſa, Act. IV.*

OPIDVM, *Si incolæ bene sunt morati, pulcre munitum arbitror,*
Perfidia, & peculatus, ex vrbe, & auaritia si exulant:
Quarta inuidia: quinta ambitio: sexta obtrectatio:
Septimum periurium ..... octaua indiligentia:
Nona iniuria: decimum, quod pessimum aggressu, scelus.
Hæc nisi aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.

MOGVNTIACA-